Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36647
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

20

quantum breviter et aperte potui explanare ne si alienas nimium rationes mul
tiplicaverimus magis obscuremus quam edificemus lectorem. Non omnia dicenda sunt
que dicere possumus ne minus utiliter dicantur ea que dicere debemus. Id tandem in unaquaque
arte queras quod ad eam specialiter pertinere constiterit. Deinde cum legeris artes
et quid uniuscuiusque proprium sit agnoveris disputando et conferendo tunc demum ratio
nes singularum invicem conferre licebit et ex alterna consideratione vicissim que
minus prius intellexeras investigare. Noli multiplicare diverticula quo
adusque semitas didiceris securus discurres cum errare non timueris.

Quid sit necessarium studio.

Tria sunt necessaria studentibus natura exercitium disciplina. In natura consideratur
ut facile audita percipiat et percepta firmiter retineat. In exercitio ut la
bore et sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina ut laudabiliter vi
vens mores suos cum scientia componat. De his tribus per singula modo introductio
nis pauca perstringemus. Hoc ad naturam. Hoc naturam de ingenio. Qui doctrine operam dant
ingenio simul et memoria pollere debent. Que duo in omni studio ita sibi
coherent ut si desit alterum neminem alterum ad perfectum ducere possit sicut nul
la prodesse possunt lucra ubi deest custodia et incassum receptacula munit
qui quod recondat non habuerit. Ingenium invenit et memoria custodit sapientiam. In
genium est vis quedam naturaliter animo insita per se valens. Ingenium a natura pro
ficiscitur usu iuvatur inmoderato labore retunditur et temperato acuitur
exercitio. Unde satis eleganter a quodam dictum est. Volo tandem tibi parcas
labor est in cartis. curre per aera. Duo sunt que ingenium exercent lectio et me
ditatio. Lectio est cum ex his que scripta sunt regulis et preceptis informamur.
Trimodum est lectionis genus docentis discentis vel per se inspicientis. Di
cimus enim lego librum illi et lego librum ab illo et lego librum. In lectione
maxime consideranda sunt ordo et modus. Ordo consideratur alius in discipli
nis ut si dixerim grammaticam dialectica antiquiorem. vel arithmeticam mu
sica alius in libris ut si dixerim Catilinarium Iugurtino priorem alius
in narratione que est in serie continua alius in expositione. Ordo in disci
plinis attenditur secundum naturam in libris secundum personam auctoris vel
subiectam materiam in narratione secundum dispositionem que duplex
est naturalis videlicet quando res eo refertur ordine quo gesta est et artificialis
id est quando id quod postea gestum est prius narratur et quod prius postmodum dicitur. In ex
positione consideratur ordo secundum inquisitionem. Expositio tria con

De ordine legendi.